

comprehensos, quo in casu Abbatis opinio communiter est rejecta, et reprobata. Sacra Congregatio in Tropiens. 24 jan. 1617. » Alteram n. 110, illis verbis : « Clerici confugiens ad ecclesiam gaudent immunitate, etiam respectu utriusque iudicis. Eadem Sacra Congregatio in Faventina, 20 augusti, 1601, et in Tropiens. 24 januarii 1617. »

67. *Declarationes cardinalium pro clericis.* — Ad fundamentum in contrarium, et quidem ad *primum* ex Bulla Gregoriana desumptum. Resp. cum Fagnano, loc. cit. n. 95. In Bulla Gregoriana non ideo de solis laicis fieri mentionem, quasi vero clerici asylo non gaudent, sed ideo quia Papam principaliter edidit pro favore laicorum, contra principes, et potestates sæculares, qui prætextu privilegiorum, et indulgentiarum, quibus abutebantur, delinquentes laicos pro libitu extraherent, uti patet statim ad initium Bullæ. Et quia contra clericos similia indulta non habebant, nec aliquem extraherent, imo defectu jurisdictionis in eos, extrahere nullum poterant, non erat necesse, nec fini Bullæ conveniens, de clericis aliquam facere mentionem.

68. Ad *secundum* respondetur, quamvis jure asyli præcipue protegantur vita, et membra, tamen, vi illius etiam ab aliis pœnis immunes sunt existentes in loco asyli, arg. c. *Inter alia*, 6, h. t., ibi : « Non possunt condemnari ad mortem, vel ad pœnam; » ubi Glossa ait, « ab omni pœnarum genere sint securi, » id quod expresse etiam habetur can. *Id constituimus* 36, cau. 17, q. 4, ibi : « Et a morte, et debilitate, et omni pœnarum genere sint securi. »

69. *Respondetur ad fundamenta adversariorum.* — Ad *tertium* respondetur, posse et debere clericos per iudicem ecclesiasticum puniri, etiam gravissimis pœnis, si extra locum asyli deprehendantur, aut capiantur; secus si ad illum securitatis gratia se conferant. Pœnis vero levioribus, vel etiam aliquo modo gravioribus, non tamen criminaliter, et ad publicam vindictam, sed correctionis, ac disciplinæ ecclesiasticæ gratiam infligendis posse etiam in ipso sacro, aut religioso loco capi, aut puniri; quia ab hoc pœnarum genere solam correctionem ipsius delinquentis respiciente non liberat jus asyli, arg. c. *Inter alia*, 6, h. t. ibi : « Super hoc tamen, quod iniuste gessit, est alias legitime puniendus, » sicut nec a præstanda læso satisfactione competenti eximit, arg.

can. *Reum. et can. Id constituimus*, cau. 17, q. 4.

70. *Jus asyli a qua pœna liberet?* — Ad *quartum* respondetur, illam sequelam in clericis sæcularibus non adeo esse timendam: tum quia pleræque eorum domus etiam dum prope ecclesiam sunt, tamen intra quadraginta vel triginta passus non existant; tum quia etsi ibique maneant, variis pœnis jus asyli non violentibus, v. g. censuris, depositione ab officiis, privatione beneficiorum, ac etiam aliis correctivis juxta dicta n. præc. coerceri possunt, præterquam ob delicta excepta per iudices suos extrahi possint ut laici; consequenter delicta eorum non maneant impunita, uti bene observant Fagnanus et Barbosa.

71. *Consuetudo non est universaliter contra clericos.* — Ad *quintum* respondetur modo, quo supra de consuetudine adversus jus asyli intra quadraginta vel triginta passus ab ecclesia, quod videlicet cum sit facti, probari debeat, et probata in uno loco, non noceat asylo loci alterius; et per consequens in casu occurrente, pro immunitate iudicandum, ac excipienti, onus probandi consuetudinem, imponendum sit. Vide dicta n. 37. Verum quamvis hæc responsiones fundamentis adversariorum videantur satisfacere, fatendum tamen ea per illas non ita enervari, quin sententia contraria, videlicet, quod clerici non gaudeant jure asyli contra iudices proprios ecclesiasticos, maneant adhuc probabilissima, adeo, ut eidem adherendum videretur, nisi aliud suaderent repetitæ declarationes cardinalium n. 66. citatæ: quales quia de religiosis non exstant, ideo:

72. *Religiosi non gaudent asylo contra suos superiores.* — Resp. II. Ad quæsitum principale, n. 57. positum, religiosi vel nunquam fuere gavis, vel certe, si gavis sunt, de facto non gaudent amplius jure asyli contra superiores proprios. Prima pars, quod scilicet de jure nunquam gavis sint asylo, docetur ab omnibus doctoribus n. 57. citatis, cum quibus etiam sentit. Roderiq., tom. II, *Quæst. regul.*, q. 51, a. 4; Portel. in *Dub. regul.* 7. *Ecclesiæ immunitas*, ac plures alii contra doctores citatos n. 62, qui universaliter docent clericos tam regulares sive religiosos quam sæculares gaudent asylo. Probatur autem eadem prima pars conclusionis imprimis per fundamenta allegata n. 57, utpote, quæ etiam de religiosis procedunt, ut consideranti patet.

73. *Jus asyli nihil prodesset religiosis.* — Probatur efficaciter secundo. Jus asyli penitus nihil prodest, nec ullum favorabilem parit effectum religiosis contra proprios superiores; ergo eis non competit. Probatur ant. Si quid eis prodesset, tunc illos tutos redderet a pœna mortis, vel mutilationis, vel ab alia pœna gravi, vel etiam levi, et efficeret, quod per sententiam ad pœnam condemnari non possent, nec violenter e loco asyli extrahi (hi enim sunt effectus immunitatis per dicenda infra § 6.) atqui nihil horum respectu religiosorum contra superiores proprios efficit jus asyli; ergo. Probatur min. Nam primo non reddit eos tutos in vita et membris, quia in his alias jam absque jure asyli tuti sunt contra proprios superiores; cum in pœna sanguinis afficere nullum possint, arg. c. 9. *Ne clerici, vel monachi*. Deinde non liberat eos ab aliis gravibus pœnis, nec a sententia condemnatoria ad illas; cum superiores regulares tam ex jure communi, quam ex statutis particularibus a sancta Sede approbatis, ac etiam ex consuetudine notoria possint non tantum formare processum iudiciarium ac criminalem, atque per sententiam condemnare delinquentes ad gravissimam pœnam v. g. perpetui carceris, triremium, etc. sed etiam easdem exequi, uti patet ex c. *Dilectus*. il. 2. *de Simon*. Item ex Bulla Gregorii XV. *Universi Dominici*, quæ est 34. in Bull. Cherub. tom. III. vi cujus possunt sollicitantes in confessionali ad perpetuos carceres condemnari, vel etiam triremes; ac videre est in statutis ordinum, atque consuetudo confirmat; ergo. Minus immunes sunt religiosi delinquentes a levibus pœnis; tum quia harum illatio, correctionis causa facta non obest immunitati juxta ipsos adversarios: tum quia si superiores non obstante loco asyli possent delinquentes afficere gravibus pœnis, poterunt etiam levibus: nam, « cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, » c. 53. *de Reg. jur.* in 6.

74. *Religiosi possunt e loco sacro extrahi.* — Tandem etiam non efficit jus asyli, quin Religiosi violenter possint e loco asyli extrahi; quod possunt de jure communi, et statuario ab ordine etiam nolentes expelli, ut constat ex tit. *de Regularib.* § 8. ac etiam condemnari et mitti ad triremes juxta dicta n. præced. ex quo patet infirmam esse responsionem Fagnani, loc. cit. n. 92.

75. *Solvitur instantia.* — Dices cum Bar-

bosa, in c. *Inter alia*. h. t. n. 27. Hæc omnia verificari, si religiosus delinquat in ipsa ecclesia, vel monasterio; quia tunc indignus est protectione loci religiosi, cui injuriam arrogavit, vel si extra delinquat, redeat ad monasterium aut ecclesiam non asyli fruendi gratia, sed ex alia causa; secus esse, si extra monasterium, vel alium locum sacrum delinquat, et dein se conferat ad illum animo fruendi asylo. Resp. etiam in hoc casu religiosos non gaudere asyli; sive enim in, sive extra monasterium delinquant; item sive animo fruendi asylo ad monasterium redeant, aut ibi maneant, præfatis gravibus pœnis puniri, ab ordine expelli, et etiam ad triremes mitti possunt, juxta jus commune, bullas pontificias, statuta ordinum, ac ibique notorie vigentem consuetudinem. Accedit, quod quis non privetur asylo ex eo quia delinquit in loco immunitatis, nisi ibidem committat homicidium, vel mutilationem juxta dicenda infra § seq. Neque e loco sacro extrahi possit, etsi ibi sine animo fruendi asylo sit, ut bene notat Fagnanus, in c. *Inter alia*. h. t. n. 86, arg. can. *Diffinivit*. cau. 17, q. 4. Consequenter, cum ex confessione Barbosa et sequacium religiosi non gaudeant, asylo, quo tamen alii in simili casu gaudent, signum manifestum est, eis hoc jus omnino non competere.

76. *Religiosi, si habuissent jus asyli, non amplius habent contra proprios superiores.* — Probatur secunda pars, nempe quod etsi de jure aliquando gavis essent, de facto tamen non amplius gaudeant asylo religiosi contra suos superiores regulares; cum enim jus asyli non nisi jure humano sit introductum juxta n. 21. contra hoc autem valeat consuetudo, c. fin. *de Consuetud.* certum ac indubitatum est, dicto juri quoad religiosos per consuetudinem plene esse abrogatum, eo quod universalis praxis ac consuetudo apud omnes religiones notorie vigeat (ita ut probatione non indigeat, uti de aliis consuetudinibus diximus n. 71. et alibi) graviter etiam carcere perpetuo, ac triremibus, vel expulsionem ab ordine, etc. puniendi delinquentes religiosos sive in, sive extra monasterium delinquant; sive cum sive absque animo fruendi asylo in monasterio, aut alio loco religioso sint. Quæ consuetudo et praxis non tantum a sanctis Pontificibus toleratur, sed etiam commendatur, ac specialibus bullis confirmata, atque propriis ordinum sta-

tutis a sancta Sede approbata stabilita est; ergo. (ADNOTATIO LIX.)

77. *Judæi ac cæteri infideles gaudent asylo.* Solvitur l. 1. c. de His qui ad Eccles. — Quæritur III. An Judæi, pagani, ac cæteri infideles, qui in Christum non credunt, gaudeant asylo? Resp. omnino probabilem esse affirmativam, etiamsi ad veram fidem se convertere nolint. Fagnanus, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 60; Sylvester, *ŷ. Immunitas*. n. 2 et 3; Archidiaconus, in can. *Diffinivit*. cau. 17, q. 4, ac plures alii citati a Fagnano, loc. cit. Barbosa, lib. II. de *Jur. Eccl. univ.* cap. III, n. 44. contra Covarruviam, lib. *Variar. resolut.* cap. xx. n. 11; Clarus, lib. V, § fin. q. 30, n. 17. et alios. Idque probatur: tum quia jura universaliter ac indistincte loquuntur, uti videre est can. *Reum*. cau. 17. q. 4. c. *Inter alia*. 6. h. t. cum concordantiis; tum quia juri asyli est privilegium locale non personale juxta dicta; tum quia favores sunt extendendi c. *Odia*, de *Reg. jur.* in 6; tum quia exceptio unius firmat regulam in contrarium per dicta n. 64; tum quia accedit exemplum Legis Veteris, ubi non tantum pro Judæis, sed etiam pro peregrinis erat locus asyli, *Josue*, xx, 9. Quo nomine veniebant etiam Gentiles, ut patet ex III, *Reg.* VIII, 41; *Exodi*, XII, 48; *Levitici*, XVII, 8; XIX, 33, 34, et XXIV, 22. Cum ergo ad similitudinem Legis Veteris jus asyli in nova fuerit constitutum, non debet esse minoris favoris, præsertim quia nova dicitur *Lex gratiæ*; tum tandem, et vel maxime quia ita declaravit sacra Congregatio 1631, teste Barbosa, loc. cit.

78. *Leges civiles disponentes de ecclesiis, et earum personis etiam in earum favorem non valent.* — Nec obstat, quod l. 1. c. de His, qui ad eccles. confug. habeatur, hos non gaudere jure asyli, nisi animum se convertendi habeant. Nam contra est, quod lex civilis, in quantum nominatim disponit de ecclesiis ac ecclesiasticis personis, sit invalida, ac minime attendenda, etiamsi « Ecclesiarum commodum respiciat, et favorem, » uti expresse statuitur c. *Ecclesia sanctæ Mariæ, de Constitut.* multo magis ubi vergit in ejus præjudicium, uti est l. 1. c. de His, qui ad eccles. confug. in quantum restringit immunitatem Ecclesiæ a sacris canonibus indistincte concessam. Nec juvat dicere leges civiles in materia immunitatis esse canonizatas, c. *Inter alia*, 6, h. t. ubi præscribitur, ut procedatur in hac materia « juxta sacrarum sta-

tuta Canonum et traditiones legum civilium, » cui concordat can. *Id constituimus*, cau. 17, q. 4. Nam respondetur, leges civiles esse canonizatas in eo, in quo non minuunt, ac restringunt immunitatem ecclesiarum: secus in eo, in quo eandem restringunt, eisque præjudiciosæ existunt, ut in præsentī.

79. *Infideles qualiter sint digni favore Ecclesiæ?* — Dices. Non est dignus, ut ab Ecclesia defendatur, qui Ecclesiam contemnit, arg. c. fin. h. t.; atqui infideles Ecclesiam contemunt; ergo. Resp. majorem non universaliter procedere; alias enim etiam excommunicati, qui utpote inobedientes ac contumaces vel maxime videntur contemnere Ecclesiam, non gaudent asylo, quod tamen falsum, et contra ipsos adversarios est, ut patet ex dictis, n. 55. Item quod committentes alia crimina v. g. furtum, adulterium, etc. in Ecclesia non gauderent asylo, quod rursus plures negant adversarii; ergo. Procedit ergo maj. ad præsens solummodo eo in casu, quo quis committat homicidium, aut mutilationem in ipsa Ecclesia, aut loco sacro, arg. cit. c. fin. h. t. et magis patebit infra § seq. Accedit, quod licet infideles sint indigni favore Ecclesiæ, si spectatur eorum persona, tamen eodem censeantur digni, si consideratur sanctitas loci, et reverentia ei debita, ob quam competit jus asyli.

80. *Hæretici, si non ob hæresim fugiunt ad locum sacrum, gaudent asylo.* — Resp. II. Etiam hæretici gaudent asylo, si non propter crimen hæresis, sed ob aliud delictum fugiunt ad Ecclesiam, aut alium religiosum locum. Sylvester, *ŷ. Immunitas*, 3, q. 3; Pirhing, h. t., num. 40; Haunoldus, de *Jur. et justit.*, tom. VI, tract. I, n. 161; Sannig, h. t., cap. II, n. 7; Zoësius, h. t. n. 16; Gutierrez, *Pract. quæst. civil.* lib. III, q. 1, n. 28, et alii contra Covarruviam cit., cap. xx, n. 11. Probatur conclusio iisdem argumentis, quibus præcedens. Quibus non obstat Bulla Gregoriana, ubi ab asylo excluduntur hæresis rei. Resp. enim quod in casu, quo hæreticus non ob hæresin, sed ob aliud crimen fugit ad ecclesiam, hæresis se habeat mere per accidens; nec constitutio Gregoriana hæreticum excludit, nisi quatenus per locum asyli declinare vult pœnam ob hæresin infligendam.

81. *Procedit in Germania sed non alibi.* — Hinc in Germania ubi hæretici tolerantur, nec ob hæresin quis quid patitur, hæc sententia passim practicatur. Quæ tamen in aliis

locis, ubi est sanctæ inquisitionis officium, vix prodesset, hoc ipso, quod hæretici ibidem non tolerentur, sed, ubi sciuntur, etiam e loco sacro extrahantur: nam postquam legitime sunt extracti, utique poterunt dein etiam ob alia delicta extra locum sacrum condemnari, ac puniri; cum nihil amplius obest.

Fieri solet contra hanc conclusionem obiectio posita num. præced. sed solvitur eodem modo, quo ibidem.

Dixi notanter, « si non ob hæresin; » si ob hanc enim ad ecclesiam confugit hæreticus, certum est, eum non gaudere asylo, ut patebit ex § seq.

§ IV.

DE CRIMINIBUS, QUÆ GAUDENT, VEL NON GAUDENT JURE ASYLI IN SPECIE DE LATRONE, GRASSATORE, DEPOPULATORE AGRORUM, ET OCCIDENTE, VEL MUTILANTE IN ECCLESiIS, VEL CŒMETERIIS.

82. *Bulla Gregorii XIV, de Jure asyli.* — Pro hujus paragraphi sicut et totius tituli præsentis de *Immunitate* majori intelligentia necessarium est scire Bullam Gregorii XIV. Cum alias editam anno 1591, quæ est in Bullario Cherubini ordine 7. Constitutio dicti Pontificis, cujus tenorem hic per extensum subjungo.

Gregorius papa XIV, ad perpetuam rei memoriam.

« Cum alias nonnulli prædecessores nostri, et præsertim felic. record. Sixtus Papa V, necnon Pius etiam V, sancto zelo ducti, diversas facultates et indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam a jure non permissis, ex ecclesiis criminosos, et delinquentes, compluribus sæcularibus principibus, eorumque curiis, et magistratibus sub variis modis et formis concesserint, prout in illis plenius continentur.

« § 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem et differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem principum ministri, ex hoc ipso diversimode, etiam latius, quam par erat, et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, et immunitatis ecclesiasticæ perturbationem,

et confusionem: alibi vero ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod in populis inveterata erga ecclesias reverentia devotis et assuetis, scandali potius, quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modo juris, sed etiam litterarum penitus ignari et imperiti, dum quasi potestates, et ministri curiæ sæcularis in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum et indultorum hujusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitrato in sensu minus rectos, et ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, et illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit, attentare præsumperint, in grave jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticæ præjudicium locorum, et personarum divino cultui dicatarum contemptum. ipsius divinæ majestatis offensam, et scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis a Domino pastoralis officii munere, prædictis absurdis, et scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, et ne ecclesiastica jura plane conculcentur, et negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus V, prædecessor noster iisdem de causis motus, statuere decreverat, licet morte præventus, hoc adimplere nequiverit; ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, et nimia, quæ jam invaluit perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, et ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod prisca illa majorum nostrorum disciplina, et vetus sacrarum canonum norma præscriperat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.

« § 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia, et quæcunque privilegia, indulta et gratias, tam per dictum Sixtum, ac Pium V, quam alios quoscunque nostros prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemque apostolicam, ejusque legatos, super abducendis, vel extrahendis ab ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus locisque sacris, aut religiosis, aliasque in casibus jure permissis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoc-